VITA.

Natus sum ego Julius Barasch Brodiae in Gálicia anno hujus saeculi decimo quinto, mens. Jun., patre optimo Marco, et matre Anna, e gente Landau, quos Dei optimi beneficio adhuc vivos veneror. Fidei veteri addictus sum.

Litterarum elementis, nec non omnibus disciplinis, quae in Gymnasiis docentur, domi eruditus sum. — Anno tricesimo septimo h. s. Lipsiam me contuli, ubi examine maturitatis absoluto ab Ill. Stahlbaum, Rectore scholae Thomasii Lipsiensis, testimonio maturitatis instructus, ab Ill. Steinacker, t. t. Rectore magnifico, numero cívium academicorum almae Universitatis Lipsiensis adscriptus sum.

Tribus semestribus praeterlapsis, Berolinum profectus, ab Ill. Mueller, t. t. Rectore magnifico, et ab Ill. Schultz, t. t. Decano spectabilissimo, in almam Universitatem Fridericam Guilelmam receptus sum.

Per quadriennium studiorum meorum Illustrissimorum, Celeberrimorum et Experientissimorum virorum hisce interfui praelectionibus:

Lipsiae: Ill. Hartenstein de introductione in philosophiam, nec non de historia philosophiae; Ill. Krug de aesthetice; Ill. Moebius de astronomia; Ill. Drohbisch de logice; Ill. Heinroth de anthropologia et de psychologia; Ill. Weber de anatomia corporis humani nec non de osteologia et de syndesmologia; Ill. Schwaegerichen de botanice et de mineralogia; Cel. Peppig de zoologia;

Cel. Fechner de physice; Cel. Erdmann de chemia anorganica et organica; Cel. Kneschke de encyclopaedia et methodologia medicinae.

Berolini: Ill. Mueller de physiologia hominis speciali, et de physiologia generationis; nec non de anatomia comparativa; Ill. Schultz de fundamentis pathologiae universalis; Ill. Horn de pathologia et therapia speciali nec non de pathologia et therapia morborum animi; Ill. Wagner de politia medica; Ill. Busch de elementis artis obstetriciae; Cel. Romberg de diagnostice et de auscultatione percussioneque; Ill. Casper de capitibus selectis pathologiae et therapiae specialis; Exp. Mitscherlich de materia medica; Exp. Henle de pathologia universali, cujus et repetitorio anatomiae speciali corporis humani, nec non de anatomia generali seu microscopica interfui; Cel. Michelet de philosophiae systematibus recentioribus. —

Artem cadavera rite dissecandi Ill. Mueller et Ill. Schlemm me docuerunt. Excursionibus botanicis ab Ill. Kunth institutis me adjunxi.

Praxin medicam, chirurgicam, ophthalmiatricam et obstetriciam exercendam Ill. Osann, Ill. Schoenlein, Cel. Barez, Cel. Wolff, Cel. Truestedt, Ill. Dieffenbach, Ill. Juengken, Ill. Busch me docuerunt.

Quibus viris omnibus summopere venerandis, optime de me meritis, gratias habeo, quas possum maximas, easque semper habebo.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico, quam medicis atque examine rigoroso absolutis, spero fore ut, dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores mihi concedantur.

THESES.

1. Gonorrhoea in Pentateucho (Levit. C. XV. v. 3—22) descripta, non nisi virulenta est, et quidem duas species hujus morbi hoc loco invenimus, gonorrhoeam quidem humidam et gonorrhoeam siccam (sic dictam chordam veneream).
2. In Pentateucho (Levit. C. XXI. v. 20) jam duo genera primaria tineae capitis (t. favosae quidem et t. mucosae) eademque per signa eorum pathognomonica distincta, commemorata sunt.
3. Morbus animi Lycanthropiae similis jam in Veteri Testamento (Daniel. C. IV. v. 22 et 30) invenitur.

DE PESTIS ATHENIENSIS INDOLE TYPHOSA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XVI. M. AUGUSTI A. MDCCCXLI.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

CAR. CHRIST. HERM. BIEDERLACK
GUESTPHALUS.

OPPONENTIBUS:
T. TIEDEN, med. et chir. Dr.
H. JASPER, med. et chir. Dd.
TH. MICHELIS, juris stud.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

VIRO

ILLUSTRISSIMO, AMPLISSIMO, EXPERIENTISSIMO

HENR. SCHMEDDING,

JURIS UTRIUSQUE DOCTORI,
REGI A CONSILIIS REGIMINIS SUPREMIS INTIMIS,
ORDINIS AQUILAE RUBRAE EQUITI,

AVUNCULO SUMME VENERANDO

NEC NON

PATRI

OPTIMO, DILECTISSIMO

AD CINERES USQUE COLENDO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Ex consuetudine eorum, qui summos in medicina et chirurgia honores appetunt, ego quoque hunc libellum in lucem edere conatus sum. Facile erat, reperire materiam scribendi in scientia, quae summa nititur antiquitate, experientia locupletissima, reflexione non minus erudita — sed talem reperiendi materiam, quae nondum sit elaborata, vel potius exhausta scribendo, opus est difficile. Morbus, quem mihi sumsi adumbrandum, ad Graecam quidem pertinet antiquitatem, et a Thucydide, scriptore illo rerum actarum tam accurato atque sincero, singulis describitur lineamentis veris, accuratis, puris, ut desideriis cujusque lectoris plane satisfiat, ex-

cepto eo, qui in medicinam incubuit. Huic enim non sufficit, devastationis dirae terribilisque adspicere imaginem generalemque morbi adspectum, sed singula perquirit symptomata eaque scrutatur, quae artis ignaro nullius sunt momenti.

Hanc ob causam morbus iste Thucydidis semper foret tenebris obumbratus, nisi apud nonnullos veterum scriptores vestigia quaedam viam obscuram paululum illustrantia inveniremus. Utinam contingat, ut viam persequar rectam et ostendam hujus morbi nexum cum posterioribus, nec non doceam, morborum genium non singularem, sed, quamdiu genus humanum aegrotat, continuum esse, per varias tantum formas ludentem. Quae insunt huic dissertationi attentione digna, legas quaeso, lector benevole, quae autem debilia et minus consentanea, indulgenter excuses. —

Antequam rem ipsam aggrediar, exponam, quem in tractando hoc morbo ordinem sequi mihi in animo sit. Primum igitur de origine, vel causa externa, ut verbo utar medici, disseram, tunc de momentis ad propagandum morbum praedisponentibus, dein, relatis symptomatibus et decursu, diagnosin et connexum cum epidemiis posteris explicabo, et sub finem nonnulla de medendi ratione addam. Hanc consecutionis rationem ea de causa praetuli, quoniam ab auctore nostro, Thucydide, ipso est instituta.

Cap. I. ORIGO.

Incipiente bello Peloponnesiaco, «pestifer morbus primum in urbe Atheniensium grassari coepit, prius quidem multa loca invasisse et in Lemno aliisque civitatibus saeviisse dicebatur; nullo tamen alio in loco, quod memoria tenebatur, tam atrox lues, nec tanta hominum strages fuit.« (1) His verbis Thucydides magnam illam luem depopulantem describendi initium facit. Contagium cor-

---

(1) Thucydidis de bello Peloponnes. lib. VI. Cap. 48. cet.

pori morbum afferens tanto erat in vigore, ut ne medicis quidem, qui aegro subveniebant, parceret, sed ut hi omnium primi morerentur, utpote, »qui plus aliis aegrotos invisere solebant«. At eos etiam praesertim infestabat contagium, qui ab hostibus ex agris in urbem confugerant, et in cavernis angustis aestuosisque versari erant coacti, quippe qui inter se magis appropinquarent. Delubra, in quibus degebant, plena erant cadaveribus; sed et pariter omnes infestabantur, qui vel optima victus ratione erant usi.

Contagiosam morbi naturam cum jam inficiari non possimus, nostrum est sciscitari, unde hoc contagium tam saevum ortum sit. Audiamus, quae tum temporis valebat, opinionem ab auctore nostro. (1) «Coepit haec lues, ut dicitur, primum in Aethiopia, quae est supra Aegyptum, postea in Lybiam et regis Persarum terram propagata est, in urbem autem Atheniensium subito irruit, et primum in Piraeeo saevire coepit. Postea autem in superiorem urbem venit, et ibi jam multo plures homines moriebantur« —

His adjiciamus dictis, in regionibus meridionalibus antiquitus jam ortos esse morbosepidemicos, in Oceani Indici oris, indeque totum fere obducisse orbem terrarum. Sic temporibus aevi medii diversae magnae epidemiae, nostris quoque temporibus ophthalmia epidemica, per milites Franco - Gallos advectae sunt. Quare summo jure alta ex Aegypto primariam hujus morbi originem deducere possumus — Neque etiam ulla fere alia urbs erat Graeciae magis opportuna ad adtrahenda hujus morbi

(1) Thucyd. l. c.

germina; quippe quae navibus per totum mare mediterraneum missis, cum Aegypto inprimis commeatu juncta esset, neque illo adhuc praesidio munita, quod post sacras expeditiones institutum est, quadraginta nempe dierum custodia, in maris mediterranei portubus, ad evitandam propagationem contagii in oriente concepti.

Huic autem opinioni de origine contagii Aegyptiaca illud repugnare videtur, quod antiquissimi scriptores, qui de Aegypto scripserunt, praesentis ibi morbi mentionem non faciunt. Neque Herodotum, neque Galenum, medicum sui temporis peritissimum, quidquam hac de re scripsisse, notum est. Illud autem altera ex parte certum est, plus quam alias Aegyptum esse terram, ad germina morborum procreanda propriam. Jam veterum scriptorum Posidonius terram describit siccam, pluviis in Aegypto superiore Aethiopiaque solis cadentibus. Quare ibi pestes, exhalationes paludum noxias, cicadarumque copiam magnam oriri. Strabo (1) refert: «Nostris et anterioribus temporibus illa terra sedes morborum epidemicorum magni momenti fuit« — Plinius (2) edicit: «Toties et Nili rigua pluviae amara fecere, magna pestilentia Aegypti« —

Novissimis autem temporibus per exploratores Franco-Gallos situm ac temperiem illius terrae magis exquisite cognovimus. Aegyptus (3) a Nilo inundata summae inundationis tempore, tamquam magna insularum copia e flumine protenditur; ita sub finem mensis Septembris. Quod quidem spatium diluvii ab incipiente Augusto usque ad finem Octobris perdurat, humidum quoque tempus no-

(1) Geogr. lib. XVII.
(2) Histor. natur. lib. XXXI. cap. IV.
(3) Cf. Lorinser, die Pest des Orients, p. 115.

minatum, pluvia, nebulis zephyrisque humidis excellit; dein sequitur tempus fecundum, serena ac tranquilla tempestate insigne. Tertium autem spatium, a Martio usque ad finem Maji porrectum minus sanum est; venti enim austrini, per dies quinquaginta continui, aestus ingentes, plerumque graduum 30 — 40° R., ariditas multique pulveres aërem reddunt insalubrem. Reliquum intervallum Etesiae nominatur, ubi aquilones regulares aërem refrigerant. Nilus autem limo suo totam terrae superficiem tegit, stagnaque multa efficit et dissolutione materiae vegetabilis aquarumque exhalatione aërem vaporibus implet. Aër autem paludosus praecipue paratur atmosphaera ex stagnis paludibusque, conjuncto simul aestu, vaporibus impraegnata. Sanguis tum loco puri oxygenii materiam simul hydrocarbonicam imbibit, ad quam expurgandam vis naturae medicatrix incitata febres cujusque generis movet: tali modo in Indiae orientalis ora Cholera oritur Asiatica, in sinus Mexicani oris febres biliosae. Sic etiam nostris temporibus pestis orientalis dicta, Turcarum imperio endemica, Europam saepe adit Europaeosque commercio Alexandriaco deditos terret. Temporibus istis quidem, meliore aquarum Nili administratione, aquis diligentius ex agris derivatis, accuratiore mortuorum sepultura adhibita, morbos pestilentiales multo rariores fuisse, facile concedo. Quanta cum cura Aegyptii veteres aërem a vaporibus tueri et inde prodeuntes pestes vitare studuerint, cavernae demonstrant, in quibus corpora hominum mumificata, crocodili, angues, volucres eorumque ova detecta sunt ingenti multitudine aggerata — Cicero quoque hac de re nobis auctor est (1): »Ipsi qui irridentur Aegyptii,

(1) Cicero, de natura Deorum, I. 36.

nullam belluam nisi ob aliquam utilitatem consecraverunt, velut Ibes, maximam serpentium vim conficiunt, cum sint aves excelsae, cruribus rigidis, corneo proceroque rostro: avertunt pestem ab Aegypto, cum volucres, angues, ex vastitate Lybiae vento Africo invectos, interficiant atque consumant; ex quo fit, ut illae nec morsu vivae noceant, nec odore mortuae.« — Ipsa, quae compensat omnia natura, ventis ex Lybia advectis vapores illos dispergere, et in universum attenuatis his aërem minus noxium reddere studet.

Quae cum ita sint, exquisitam fuisse veterum Aegyptiorum curam, natura sublevante, lues avertendi elucet. Nec tamen verisimile est, eos omnino impedire potuisse, quominus nonnunquam, conditionibus praecipue infaustis, natura non juvante, maxima etiam hominum diligentia adhibita, morbus eruperit contagiosus; quam quidem rem illi laudati scriptores verisimilem reddiderunt. Et quanquam veteri Aegyptiorum historia parum cognita, epidemia quoque nostra scriptorum veterum, qui hac de re pauca tradiderunt, commemoratione caret, tamen hoc minime sufficit, ut a Thucydide propositam opinionem repudiemus (1).

Cap. II. CAUSAE MORBI PRAEDISPONENTES.

Hucusque originem morbi admodum obscuram paululum in luce ponere conati sumus, nunc exponendum est, quanam ratione sit effectum, ut ejus pestis contagium Attica in terra indolem prae ceteris funestam potuerit assequi. Est enim omnino confirmatum, conta-

(1) Conf. Hüser, historisch-pathologische Untersuchungen, Leipzig 1840, p. 32.

gium pestilentiale non posse transplantari atque excoli, nisi ad fundum capessendo idoneum, vel qui sit magis minusve praedispositus ad concipiendum. Quae autem praedispositio altera ex parte in corporis humani temperamento sita est, altera ex parte in naturae extraneae constitutione. Hominis autem temperamentum permultum valet ad inficiendum. Scimus enim, multis in epidemiis magnis alium servari hominem incolumem, alium inopinanter affligi. Morbis gastrico-biliosis grassantibus, qui venositate abdominis laborant, maxime infestantur, ab exanthematibus acutis praecipue individua aetatis infantilis, puerilis, ita etiam juvenilis, corripi constat. Naturae autem extraneae quoque constitutionem certam esse oportet, ut, contagium seu fixum seu volatile excultum, homines invadat. De frigore satis notum est, omnes fere contagiones eo supprimi, calorem autem nimis magnum ad coctionis gradum provectum, destruere, experientia et explorationibus pro certo habetur. Aestus autem solis majores, fermenti in modum, praesertim idonei sunt ad augendam contagii praesentis vim, inprimis aëre humido. A diversis antiquitatis scriptoribus natura et conditiones nobis asservatae sunt, quae maxime erant aptae, ad concipiendum et fovendum contagium Aegyptiacum. Diodorus (1) de illo tempestatis statu haec verba facit, tres commemorans Atticae pestis causas:

1) Hiems praecedens pluviosa fuit et terra humectata atque aquosa, loca concava et fossae omnes a confluxu aquae pluviae stagnabant, tanquam paludes, cumque aestate succedente illae paludes ab aestu calescerent

---

(1) Diodori Siculi bibl. hist. lib. XII.

et putrescerent, accidit, ut foedus odor et vapores crassi inde exhalarent, qui sparsi aërem vicinum infecerunt, sicut a paludibus insalubribus fieri solet.

2) Accessit hoc tempore pravitas victus, nam fruges ac fructus a continuis imbribus nimis humida neque a sole concocta, atque eam ob causam insalubria omnia erant.

3) Tertia vero causa ea erat, quod Etesiae ea aestate non spirabant, quoniam ventorum flatu calor aestivus tempore aestatis refrigerari et contemperari solet: cum igitur calor intenderetur et quasi igneus fieret, accidit, ut hominum corpora inflammarentur, unde tales morbi ardentes grassari coeperint.

His observationibus mirum in modum Hippocratis, illius naturae scrutatoris, verba praeclare consentiunt, et hac de causa etiam verisimillimum est, ab Hippocrate eundem morbum epidemicum, sed in aliis Graeciae regionibus, describi et designari. Hic talia refert: «Annus (1) austrinus, imbribus abundans, atque in totum a ventis tranquillus fuit. Quum autem paulo superioribus anni temporibus justo majores siccitates viguissent, sub arcturum spirantibus austris multum pluit». Memorabile hoc indicium, si comparatur cum his, quae Thucydides dicit: »praeteriisse bello Peloponnesiaco terrae commotiones, eclipses solis, aestus permagnos, famem« — tempus amborum scriptorum, quo quisque suum describit morbum pestilentialem, consentaneum esse, extra omne fere dubium collocat — «Autumnus obscurus, Hipocrates pergit, nebulosus, cum aquarum abundan-

(1) Hippocratis Coi opera. edid. Kuehn — Epidem. libr. III. sect. 3.

tia, hiems austrina, humida et levis, longe post solis conversionem intervallo juxta aequinoctium extrema hiemis frigora adfuerant, jamque sub aequinoctium ipsum aquilonares venti cum nivibus non ita diu spiravere. Ver rursus austrinum, a flatibus quietum, aquae multae et continentes ad canem usque. Aestas serena, calida, aestus praefocantes magni. Anniversarii venti, Etesias vocant, pauci disjunctim spiravere. Sub arcturum rursus spirantibus aquilonibus aquae multae« —

Igitur aër vaporibus paludosis plenus, materiis putridis refertus, calore magno incensus, quem in Aegypto epidemiam genuisse jam cognovimus, et qui Graeciae impendebat, contagii ex Aegypto advecti sustinebat vigorem et fovebat. Multa autem nobis persuadent scriptorum adnotationes, illam aëris constitutionem ad pestem inclinantem per magnum orbis terrarum spatium divulgatam esre. Ut praetermittamus, Hippocratem in observanda illa peste in variis Thessaliae Thraciaeque oppidis et circa Propontidem versatum esse, quoniam Thasi, Larissae, Abderae, in Cyzico insula, Meliboeae, medicinam exercuit (1), Italiae etiam non parcebatur. Sicut in Graecia Etesiis deficientibus, adjuvante solis calore igneo secundum Diodorum pestis erupit, ita Romae quoque siccitate eodem fere tempore laboratum est. »Nec (2) coelestes modo defuerunt aquae, sed terra quoque ingenito humore egens vix ad perennes suffecit amnes. Defectus alibi aquarum circa torridos fontes rivosque stragem siti pecorum morientium dedit: scabie alia absumta vulgatique contactu in homines morbi et

(1) v. Hippoc. epid. lib. III. sect. 3. casus 3—16. ed. Kühn.
(2) Livius, hist. Rom. lib. IV. 30.

in agrestes primum ingruerant servitiaque; urbs deinde impletur« .....

Praeterea autem Athenis causa mali praecipua valebat. Nam hanc in urbem, ingenti jam multitudine excellentem, magnus hominum numerus ab hoste confugerat, et tempore aestivo, aestibus prementibus, in angustis cavernis cumulata jacebat (1), quo fiebat, ut inter eos lues sine ordine grassaretur. Pestis semper majorem hominum numerum capit, ubi vicinia major est, ita pestis nosocomialis, dummodo exorta sit, rapide vicinos inficit; neque prius evanescit, quam omnino vacuefactum est aegrotis nosocomium. Maris quoque propinquita periculum auxit, urbes maritimae non solum propter exhalationes aquae, sed et propter commeatum non impediendum majora subibant discrimina.

Quae quidem docent, morbum Thucydidis pestiferum neque mortis periculo, neque amplitudine terrarum posteris cedere epidemiis.

Cap. III. SYMPTOMATOLOGIA ET DECURSUS MORBI.

Postquam indolem morbi epidemicam ejusque conditionem ad individuam constitutionem cognovimus, superest, ut morbi symptomata describamus. Egregie atque distincte huic pro historico satisfecit Thucydides, qui se ipsum laborasse multosque vidisse laborantes confitetur. Sed quum longius a re aberrarem, si universam ejus descriptionem traderem, verba ad compendium retuli.

(1) Thucydides, l. c.

Prima (1) luis phaenomena in capite apparuere, in oculis rubor et inflammatio. Capitis dolor ardens. Fauces et lingua sanguinolentae erant adspectu. Anhelitus aderat cum odore putrido. Tunc accessit sternutatio et ex capite fluxio, simul tussis valida, et postquam malum in cardiam descendit, eam evertit, multaeque expurgationes biliosae aderant (2), qualescunque a medicis nominantur. Dolor quoque non deerat et in multis singultus inanis, vehementesque convulsiones, in aliis citius, in aliis tardius remittentes. Partes exteriores magis frigidae erant tactu. Corpus loco consueti palloris colore obducebatur subrubro ad lividum vergente, parvis vesiculis et ulceribus erat plenum. Aestus febrilis in interioribus tantus, ut aegroti ne vestimentum quidem possent sustinere. Hic aestus internus furibundos, neglecta custodia, propulit ad aquas, ut ibi siti liberarentur; neque tamen exstingui haec potuit. Ita multi aestu consumti die septimo vel nono interiere. — At si quis hoc tempus superavit, morbo in ventrem descendente, acris ibi exulceratio orta est, et profluvium sequebatur biliosum, unde multi postea propter debilitatem mortui sunt. Extremae quoque partes corripiebantur, nam tandem in pubem vel extremas manus vel pedes morbus incumbebat, multique his membris amissis evaserunt, aliqui etiam oculos amiserunt, quosdam statim convalescentes tanta cepit oblivio, ut sui non essent compotes.

---

(1) Thucydides de bello Peloponn. lib. 11. c. 49 sqq.

(2) Κατέβαινεν ἐς τὰ στήθη ὁ πόνος, μετὰ βηχὸς ἰσχυροῦ, καὶ ὁπότε ἐς τὴν καρδίαν στηρίξαι, ἀνέστρεφε δὲ αὐτὴν, καὶ ἀποκαθάρσεις χόλης ἐπῄεσαν.

Hic brevis est symptomatum complexus auctorque affirmat: „omnino talis erat in genere morbus,“ qui autem in aliis aliam praebebat speciem. Est enim nullus alius morbus, ac epidemicus, qui tantopere sit modificatus formis in eodem aegrotantium numero. — Ad distinguenda melius symptomata, complura ponimus stadia et conformia discernimus a difformibus.

Stadium I. Symptomata mucosa: Sternutatio cum narium fluxu, oculorum fauciumque affectio, rubore significata, tracheae affectio cum tussi et anhelitu difficili, cum odore malo. Symptomata febrilia: sitis inexplebilis, ardor ingens per totum corpus, capitis dolor magis aestuosus. — Nervorum symptomata quoque non parum perspicua: Huc referendus singultus inanis cum convulsionibus, vomitus forsan, protinus delirium furibundum, adeo ut aegroti, cubiculo relicto, in aquam se dejicerent, superatis etiam custodibus. Sensorium valde aegrotasse, demonstrat exitus, nam quosdam statim convalescentes tanta cepit oblivio, ut nec se, nec necessarios suos agnoscerent. — Sub finem hujus stadii corpus rubefactum est, colore tamen non laete rubro, sed magis ad lividum vergente. Eruptio certe exanthematis significatur, quod autem confestim in ulcera degenerat.

Stadium II. Symptomata magis ad dissolutionem spectant: exulceratio apparet intestinalis cum diarrhoea colliquativa; truncus calore notatur mordace, extremis partibus magis frigidis, corpus ulceribus et carbunculis tumet. Membra minus putredini resistentia et gangraena petuntur.

Tali modo multi tandem exeunt sani, ut ipse auctor,

multi, amissis membris, aut mente debilitati, partialem recuperant sanitatum, multi sub alvi excretionibus propter vires exhaustas moriuntur.

Ulcera super corpus dispersa detrimentumque partium genitalium et membrorum extremorum indolem putridam arguunt; eam significationem locus quidam apud Hippocratem statim in luce ponet. Is enim enarrat, in describenda epidemia supra jam dicta (1), multos illo tempore aut cum, aut sine febre ab igne sacro (ἐρυσίπελας) infestatos esse. Multis totum corpus parvis ulcusculis deformabatur; ulcera inde phagedaenica orta per decidentiam carnium, ossium ac nervorum mutilationes fecerunt. Neque vero materia ex ulcere secreta puri similis erat; sed aliud quoddam putredinis et fluxionis multae ac variae genus. „Totius capitis et menti glabrationes ossiumque denudationes et prolapsus, similiter in quacunque corporis parte ista eveniebant.“ — „Multis brachium et cubitus totus defluebat. Eorum autem gravissima urgebant, quae circum pubem pudendaque contingebant.“ Febres alienatione mentis et stupore erant insignes. De diarrhoea dicit: »exulcerationes, tubercula intus et extra, — alvus autem biliosa et pinguia et liquida demittebat — diuturnis tum, qui acutis tentabantur morbis, omnes fere ex ventris vitio periere.«

His paucis morbi formam depingere studui; minus perspicua quidem morbi est imago, quam pathologiae studiosus desiderare possit: sed quum auctor ipse parca quidem docuerit, multaque desiderentur symptomata magis

---

*) Hippocrates, epidem. lib. III, sect. 3.

extensa, perfectam proponere imaginem morbi, semper erit in piis votis.

Cap. IV. DIAGNOSIS MORBI ET CUM ALIIS CONNEXUS.

Sumus nunc in eo, ut morbum ad systema pathologicum deferamus, et disseramus, quomodo non singularis exsistat in ordine rerum, sed tamquam effluvium elementi contagiosi, mutatis mutandis, antiquitus jam ad nostra usque tempora latentis.

In describendis morbi symptomatibus jam vidimus, sensorii affectionem magnam adesse, quae quidem satis perspicue e Thucydidis verbis eminet, magis autem distincte in Hippocratis epidemiae descriptione, singulis casibus illstranda, elucet. »Sopore (1) in primis detinebantur phrenitici, quin etiam in caeteris omnibus maximis morbis, quod cum febri contigit. Omnino enim plerosque aut gravis somnus comitabatur, aut tenues et parvi somni.“ Inter sedecim enumeratos casus illa sensorii affectio verbis, quam maxime potest evidentibus describitur. Tunc ruborem Thucydides commemorat magis lividum, quo totum erat corpus obsitum, pustulis et ulceribus intermixtum. Hic color non facile aliud, nisi exanthema petechiale, significare potest, in quo pustulae (2) vel potius vesiculae lymphaticae apparebant, signum humorum depravatorum, quare mox naturam ulcerationis assumebant.

---

(1) Hippocr. l. c.

(2) Φλυκταίναι, uti nominantur apud Thucyd., vesiculas designat, quales oriuntur in aqua ebulliente.

Tertia symptomatum classis abdomen tenet, et ulcerationem intestinalem alvique fluxum, diarrhoeam colliquativam complectitur, qualem etiam Hippocrates describit, et alvum dicit pinguia et tenuia et liquida demisisse. Igitur si morbi imaginem nobis repraesentamus, e symptomatibus collectam essentialibus, typhi petechialis aliquam speciem opinari cogimur, adjecta morbi contagione tam aperta, ut »etiam volucres et quadrupedes, quae hominum cadavera attingere essent solita, morerentur,« — et — »Pariter omnia infestabantur, et qui optima victus ratione utebantur.“ Ad speciem autem suspicandam typhi deducimur, animadvertentes putredinis symptomata, quae Thucydides vesiculis et ulceribus notat, porro si spectamus visus interitum, maxime autem si evidentem Hippocratis descriptionem meditamur, nam »carbunculi aestate multi atque alia quae putredinis nomine donantur.“ Quare ad illam typhi contagiosi speciem maxime ducimur, quae typhus putridus nominatur.

Si virorum spectatorum auctoritate ad firmandam opinionem opus est, naturae peritissimus Schönlein, testimonium reddit, qui hanc Thucydidis pestem, sicut posteram Diodori, in Carthaginiensium exercitu ortam inter typhos numerat petechiales, bubonumque peste (inguinali), postea oppressam esse existimat (1). Hecker, historiae medicae tam sagax explorator, non dubitat (2),

---

(1) Dr. J. S. Schönlein's, Prof. in Berlin, Krankheitsfamilie der Typhen; nach dessen Vorlesungen herausgegeben, Zurich, b. Locher, 1840. p. 62.

(2) Hecker, Geschichte der Heilkunde, 1ster Band, Berlin 1822. p. 115. Anm.

quin typhus contagiosus putridus fuerit, sed, ut quaeque magna epidemia, phaenomenis singularibus insignis.

Comparatis aliis antiquitatis morbis epidemicis, hoc morbi genus non singulare solutumque exstitisse, atque interiisse, ut animalium genera aevi vetustissimi, sed vinculo quodam cum reliquis epidemiis in morborum serie conjunctum esse pro rato habemus. Est tanquam phaenomenon genii morborum antiqui, qui ad nostra usque tempora continuit, et variis sub speciebus tantum vagans, secundum loca et occasiones, in genera idem et integer est: genium dico pestilentialem, qui in Aegypto orisque Africae haerens, diversis temporibus orbis terrarum partes invasit. Ut praetermittam pestem Diodori, quae eadem ex Africa appulsa in Sicilia saeviit, pestem illam magnam recordor, quae sub Justiniano imperatore anno DXLII. immensam hominum copiam rapuit, et cujus imaginem praeclarus antiquitatis scrutator Hecker (1) explicavit. Praeteritis terrae motibus aquarumque inundationibus, quae etiam initium fecere pestis Atticae, primum Pelusii, in Aegypto, pestifera lues apparuit, per Asiam et imperium orientale se extendit, Italiamque devastavit. Incepit autem morbus dolore capitis aestuoso, oculis sanguinolentis; tunc ad fauces descendit, morteque aeger inde paucis diebus consumtus est; atque in aliis alvi fluxus, in aliis ulcera inguinum gangraenosa (carbunculi). Major autem eorum numerus erat, qui delirio furibundo correpti non potuerunt contineri, sed foras evasere, et aquam petiere, non tam siti, quam febre ardente compulsi. Alii sopore consumti sunt: qui autem toto corpore obtegebantur atris

(1) Literar, Annalen der gesammten Heilkunde, Bd. X. Nr. 1.

pustulis, eadem hora diem obiere supremum. Sic etiam vomitu cruento mortui sunt quidam, aliquot autem carbunculis toto in corpore erumpentibus sublati. Exceptis paucis, medici quoque corripiebantur. Plerumque lues a peste orientali non distinguebatur. Aegri vicinia inficiebatur sanus. Haec pauca de aevi Justiniani peste, quanta sit similitudo cum origine, causis occasionalibus symptomatibusque pestis Atticae, primo apparet obtuitu.

Hic est primus pestis bubonum sive inguinariae accessus, si ad unicum symptoma, bubones quidem, respicimus, quae ex eo tempore in oriente adfuit, nostris quoque temporibus in Aegypto et terris vicinis occurrit, indeque per regiones Turcarum imperio subditas, ibique jam endemica, vagatur, a Christianis prophylaxi prohibita. In illa Aegypti parte, quae Delta vocatur, humiditate et exigua supra mare altitudine praedita, paene stationaria est lues. Adest species levior, frequentior: quae vomitu bilioso, praecordiorum anxietate, fastidio, nonnunquam alvi fluxu maleolente, lingua sicca aridaque, conspicua est (1); vulnera simul gangraenosa fiunt (2), multis bubones adsunt (3). Pariset (4) compertum habet, sub finem Februarii conversari in Delta plerumque aegrotos, cum dolore capitis febricitantes, vomitu ulceribusque inguinum, axillarum, brachiorum, colli, lumborum. Species autem magis exculta et superior, vera pestis orientalis nominata, primum (5) invadit magno aestu, quem subse-

---

(1) Alpini de med. Aegin. lib. I. Cap. XIV.
(2) Larrey, Relations hist. et chir. p. 178.
(3) Wolmar, de peste, dysenteria etc. p. 18.
(4) Pariset, annales d'Hygiène. Oct. 1831.
(5) Lorinser, über die orientalische Pest. Berlin 1837.

quitur respiratio angusta, inquies, stupor; una cum oculorum rubore. Accedit vomitus biliosus, interdum intestinorum laevitas, conjuncta cum febri et convulsionibus. Quo facto bubones oriuntur, vesiculae in carbunculos abeunt. Hi in regione inguinali erumpere solent, sed et quisque alius locus corporis non est exemtus. Gastricae autem hujus morbi speciei praecipua inest vis, humores corrumpendi et excretiones profusas movendi, quae maxime simul periculosa est contagione.

Cap. V. DE MEDENDI RATIONE.

Postquam de indole morbi pathologica disputavimus, multum interest, ut perquiramus, quomodo instituta sit a veteribus medicis medendi ratio. Qua autem de re historiam pauca nobis asservasse dolendum. Thucydides (1) medicos primos lue obiisse refert, et medicamenta dicit, quae alium juverint, alii nocuisse, nam istam luem medicis nondum compertam fuisse. Neque mirandum est: etenim quaevis magna epidemia semper tam furibunda est initio, ut omni resistat remedio. Hippocrates admodum parce in libro epidemiarum (2) de cura, quam instituerit, exponit: dicit, venaesectionem sese fecisse, nec ulla amplius de cura. Si curam ibi antiphlogisticam sentimus, aequum est; nam ubi typhus indolis magis synochicae est, remedia antiphlogistica apta habenda sunt. Actuarius (3) tale quid commemorat: antidotum Atheniensibus ab Hippocrate oblatum esse hydromel quoddam, non solum ore detentum, sed etiam

(1) Thucyd. l. c.
(2) Hippocr. epid. libr. III, sect. 3. cas. 8.
(3) Actuarius, de method. medendi. lib. V. Cap. VI.

capiti illitum. Quo quidem hydromelle forsan capitis aestum refrigerare, non secus, ac interne lenire studuit: nisi omnino fabulosum habendum sit, quia nonnulli demonstraverunt, Hippocratem hac in peste Athenis demoratum non fuisse; addendum quoque est, eum contagiosam morbi vim bene cognovisse, et in eam remediis usum esse. De his Galenus: »Quamobrem(1) et Hippocratem illum multis modis admirandum laudo, qui pestem illam ex Aethiopia ad Graecos invadentem non aliter curaverit, ac aëris alteratione mutationeque, ne talis amplius inspiraretur. Quum igitur ignem per totam urbem incendi jussisset, non simplicem accensionis materiam, verum etiam flores suavissimos alimentum ipsius esse consuluit, unguentaque pinguissima et odorifera ipsis superfundi, ut aërem purum hoc modo redditum homines in mali subsidium respirarent.« — Contagium certe comburere aëremque purgare in animo erat, remediumque adhibuit, quod prophylaxi nitebatur. Haec quidem est ratio, quae posteris temporibus ac etiamnunc majori cum efficacia administrata est. Contagio enim melius cognito, materiis causticis melioribus non solum, sed etiam prohibito ipso contagio a sanis eo perventum est, ut epidemiam saevam a nobis retineamus. Methodus autem prophylactica eo nititur principio, quod contagium altera ex parte sit fixum, altera autem ex parte volatile, sed per distantiam tantum nonnullorum pedum. Remedia igitur eo tendunt, ut contagium simul cum hominibus infectis praecludatur. Partim igitur, si contagium fines nondum

(1) Galenus, epist. ad Pison. de Theriac. cap. XVI. — ed. Kühn.

est transgressum, a finibus prohiberi opus est, partim, si transgressum est, sanos ab infectis separari. Hoc autem tali efficitur ratione, praecipue in continente: Quodsi oppidum est correptum, pars ejus infecta custodibus cingitur, et haec oppidi pars ab altera intervallo disjuncta, fossa profundiore ac latiore circumdatur, quam quis possit facile transgredi. Milites ita esse positos necesse est, ut quemque exeuntem possint retrudere. Aedificia inter obsessionem sita vaporibus chlorinicis fumiganda sunt, aegroti ad nosocomium separatum portandi. Hae fumigationes parantur e sale culinari (Natro muriatico) ad partes III, Mangano superoxydato (Braunstein) ad partem unam, mixtis, quibus superfunditur acidum sulphuricum ad partes II dilutum, et per cubicula disperguntur. Chlorinum ex omnibus materiis subtiliter effusis in aëre, ex aëre miasmatico, paludoso cet. Hydrogenium attrahit, et sic dissolvit ac destruit (1) — Ligna lavanda sunt aqua oxymuriatica vel Calcaria oxymuriatica, vel acidis dilutis acetoque conspergenda. Qui adhuc sani restiterunt, sumto vomitorio, novis induti vestimentis relinquuntur; lecti, vestimenta, os et quaecunque ex lana, lino, aliaque materia seu animali seu vegetabili componuntur, aut aqua oxymuriatica lavanda, aut igne sunt comburenda; pecudes necandae. Aegroti autem in nosocomio pestilentiali a custodibus obsesso a medico et servis corio subacto vestitis curantur. Custodes neminem exire patiuntur, qui cum aegrotis conversatus est. Qui autem convaluerunt, domum exspectatoriam subire

---

(1) Conf. Ficinus, Zeitschrift für Natur- und Heilkunde. Dresden Bd. I. p. 9.

debent, quod quidem aedificium prope nosocomium constitutum est, idemque militibus obsessum. Ibi dies XXVI—XL commorari debent, nec cum sanis infectis convenire.

Quo autem magis secura sit respublica ab infectione, magnae saepe sunt regiones, in quibus dominantur tales morbi, observandae excubiis per flumina montesque, ubi aditus melius possunt protegi, positis, uti nunc quoque fines Austriaci meridionales perpetuo militibus custodiuntur, — non minus ac Russiae.

In oris autem mediterraneis, et portubus quidem aliae sunt rationes institutae praecaventes. Nulla navis ex regionibus orientalibus advecta sine sanitatis testimonio admittitur, quod ab ejus reipublicae consule ei traditum est, quo sanitatis status probatur. Apud portus autem, ubi advehitur, instituta adsunt, quibus advenae excipiuntur atque quadraginta dies retinentur, quare quadragintana nominatur. Haec domus prope portum, in terra si fieri potest aperta, cubicula continet separata pro sanis vel suspectis et peste laborantibus; ita etiam spatia magna pro oneribus infectis et haud infectis segregata sunt, — et medici adsunt et custodes et onerarii, qui haec loca relinquere non debent. Cum sanis tantum per cancellos ex distantia pedum quatuor et viginti colloqui permittitur. Funera restibus e longinquo sepeliuntur, calcaria usta circumfusa.

Si navis quae advehitur, secundum testimonium illud contagio vacat, manus et onera quadragintanam tantummodo subire debent, quae secundum conditionem praesentem ad dies viginti quatuor restringi potest. Si indicia adsunt suspecta, onera, navis interno demum spatio aëris perflatui exposito per dies viginti, exportantur,

ut quadragintanam integram sustineant; advenae confestim nosocomium adeunt, et perfectam quadragintanam subeunt, cum frequentibus lavationibus. Navis autem certe pesti affecta in locum separatum vehitur et navibus cingitur custodientibus; aegroti in cubiculis domus exspectatoriae curantur, reliquos in navi restantes frequenter sese mundare ac lavare oportet; eorum vestimenta at supellex die quoque fumigantur et aqua abluuntur; navis autem foraminibus in pariete factis, aëris perflatui exponitur. Quod tamdiu continuatur, donec nulla morbi vestigia adsunt; tunc quadraginta dierum custodia subeunda est.

Quod autem onera attinet, partim facile impraegnantur contagio, partim difficulter resorbent. Quae durioris sunt consistentiae, ut metalla, ligna, frumenta, jam lavando desinficiuntur; fluida omnino non resorbent; quaecunque autem magis tenera sunt, ut lana, linum, sericum, pelles et ex his composita vestimenta, aliaque, firmius contagium retinent. Haec onera longius illis in domo exspectatoria reservanda sunt, et vinculis exutis, aëris perflatui exponenda. Hic adhibendae sunt istae supra dictae fumigationes atque lavationes chlorinicae, aliaque jam dicta remedia. Ipso igne parcendum non est (1). —

Talibus tantisque apparatibus, magnis cum impensis factis, tandem eo perventum est, ut malum illud intra fines suos coërceatur, neque depopulans progrediatur. Hoc quoque munimentum temporis progressibus adnumero, atque dubito, quidnam majoris sit emolumenti, utrum variolarum suppressio perpetua revaccinatione, an hoc praesidium contra pestem orientis perpetuo minitantem. —

(1) Cf. Lorinser, die orientalische Pest. 2r. Theil.

VITA.

Car. Chr. Herm. Biederlack, Guestphalus Grevomiensis, confessioni catholicae addictus, die XXVIII mens. Januar. anni MDCCCXVII natus sum patre Joh. Chr. Biederlack, matre Gertruda e stirpe Bidenharn, quorum illum adhuc vivere gandeo, hanc autem morte ante aliquot annos abreptam lugeo. Primis literarum elementis per sex annos in Gymnasio Monasteriensi, Ill. Nadermann Directore, imbutus, autumno anni seculi nostri XXXVI maturitatis testimonium nactus sum. Eodem anno Academiae almae civis, quae Rectore Magnifico Ill. Schlüter florebat, Monasterii praelectionibus et studiis naturae scientiarum inprimis incubui; Ill. Esser de logice et psychologia; beatum Roling de physice et astrognosia; Ill. Becks de zoologia, botanice atque mineralogia; Cel. Schmedding de chemia audivi. Excursionibus botanicis Ill. Becks praeerat.

Simul ibidem in instituto Reg. Med. Chir. anatomiam generalem ac specialem apud Ill. Tourtual frequentavi, artem cadavera rite secandi Cel. Rieffenstahl docuit.

Ibi tres semestres commoratus, in almam Frider. Guilelmam Rhenanam Bonnensem me contuli, quae tum Rectore Magn. Ill. Welcker florebat. Praelectionibus interfui hisce:

Ill. Mayer de physiologia; Cel. Albers de pathologia speciali ac formulari; Ill. Nasse de therapia; de chirurgia, aciurgia, anatomia chirurgica, et fasciis imponendis Ill. Wutzer; de arte obstetricia Ill. Kilian; de medic. historia Ill. Naumann; de rebus diaeteticis Ill. Harless; de anthropologia Ill. Nasse; de phyto- et zoochemia Ill. Bischof; nec non clinica Ill. Nasse et Wutzer frequentavi.

Tribus semestribus peractis, almam Heidelbergam profectus sum, Prorectore Magnifico Ill. Munike, ubi per annum integrum Clinicis VV. Ill. Puchelt, Chelius, Nägelé interfui, nec non Cel. Naegelé jun. de operationibus obstetriciis, Cel. Bischoff de anatomia pathologica, Ill. Chelius de ophthalmiatrice audivi.

Inde autumno a. XL. seculi XIX. Fridericam Guilelmam Berolinensem Rectore Magnif. Ill. Lichtenstein adii, et ad exercendam praxin medicam VV. Ill. Cel. Schoenlein, Wolff, Dieffenbach, Juengken, Osann, Busch, mihi fuerunt duces in clinicis medicis, chirurgicis et ophthalmiatricis, obstetriciis. Operationes ophthalmiatricas Cel. Angelstein me docuit.

Ut reipublicae legibus satisfaciam, cohortis IX legionis Alexandri imperatoris chirurgi munere voluntarius fungor, ex Jun. d. II, duce Praecl. Richter.

Quibus omnibus viris optime de me meritis gratias habeo maximas semperque habebo. —

THESES.

1. Animi morbi cum corpore quoque cohaerent.
2. Vita sub ulla conditione, quamdiu fieri potest, conservanda.
3. Paracentesi thoracis radicitus non curatur.
4. Vermes intestinales spontanea procreantur generatione.
5. Invaccinatio pro tempore tantum prophylacticum.